

Ego Rollandus Sanctæ Mariæ in Porticu diae. A card. ss.

Ego Petrus Sancti Nicolai in Carcere Tulliano diae. card. ss.

Ego Radulfus Sancti Georgii ad Velum Aureum diae. card. ss.

Datum Veronæ, per manum Alberti sanctæ Romanæ Ecclesiæ presb. card. et cancellarii, Idus Martii, indictione III, Incarnationis Dominicæ anno 1185, pontificatus vero Urbani papæ III anno primo.

### XXVII.

(*Hugoni*), abbatii Cluniacensi, asserit capellaniam ecclesiæ S. Viviani Erolletensis, Theobaldo, nunc Ostiensi episcopo et tunc abbatii Cluniacensi, ab Ademaro episcopo Santonensi, tributam.

(Veronæ, Mart. 21.)

[*Bullar. Cluniac.* p. 82.]

URBANUS episcopus, servus servorum Dei, dilecto filio Cluniacensi abbatii, salutem et apostolicam benedictionem.

Justis petitionum desideriis dignum est nos facilem præbtere consensum, et vota quæ rationis tramite non discordant, effectu prosequente complere. Eapropter, dilecte in Domino fili, tuis justis postulationibus grato concurrentes assensu, capellaniam ecclesiæ Sancti Viviani de Broletto cum pertinentiis ejus, quam Ademarus Santonensis episcopus venerabili fratri nostro Theobaldo nunc Ostiensi episcopo et tunc abbatii Cluniacensi, et per eum successoribus ejus, de consensu dilectorum filiorum nostrorum J. decani, R. archidiaconi, et canonicorum ecclesiæ suæ rationabiliter assignavit, ita quod ipse et quicunque successores ipsius, vel per se vel per procuratorem suum, capellum in ipsa ecclesia institueret, sine controversia possideat, auctoritate apostolica confirmamus et præsentis scripti patrocinio communimus; statuentes, ut nulli omnino hominum liceat hanc paginam nostræ confirmationis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumperit, indignationem omnipotentis Dei et beatorum Petri et Pauli apostolorum ejus se noverit incursum.

Datum Veronæ, XII Kalendas Aprilis.

### XXVIII.

*Gerardo, archiepiscopo Ravennati, asserit procuraciones a monasteriis Bononiensibus præstandas.*

(Veronæ, Mart. 25.)

[*MITTARELLI, Annal. Camaldul.*, IV, App., p. 144.]

URBANUS episcopus, servus servorum Dei, venerabili fratri GERARDO Ravennati archiepiscopo, salutem et apostolicam benedictionem.

Vidimus scriptum authenticum felicis recordationis Patris et prædecessoris nostri Lucii papæ, et ea tenore illius plenius intelleximus, quod cum inter te et monasteria Bononiensia tam monacho-

A rum quam monialium, exceptis Sancti Bartholomæi et Sancti Damiani, quæ contra te querelam minime referebant, super procurationibus, quas petebas ab eis, controversia suisset diutius agitata, prædicta monasteria de communi fratrum consilio condemnavit ad procurationes secundum facultates eorum tibi tuisque successoribus exhibendas. Ut igitur ipsa sententia majorem habeat imposterum firmitatem, eam sicut in scripto authentico continetur, auctoritate apostolica confirmamus. Ad majorem autem evidentiam ipsum authenticum de verbo ad verbum duximus exprimendum :

LUCIUS, servus servorum Dei, venerabili fratri GERARDO Ravennati archiepiscopo, salutem et apostolicam benedictionem.

B Sopitæ judicio sedis apostolicæ quæstiones scripto ad perpetuam memoriam commendantur, ne per oblivionem processu temporis valeant suscitari. Ut autem majorem habeat sententia firmitatem, apostolici scripti munimine roboratur. Sane cum inter te et monasteria Bononiensia tam monachorum quam monialium super procurationibus, quas ab eis exigebas, controversia verteretur, eam venerabili fratri nostro Henrico Albanensi episcopo commisimus audiendam. Postmodum vero dilectus filius noster, Sancti Proculi abbas, aliorum omnium procurator, sicut ex litteris, quas portavit, apparuit, et ipse in manu jam dicti episcopi data fide firmavit, coram nobis et fratribus nostris pro suo et aliis, Sancti Bartholomæi et Sancti Damiani exceptis, quæ super hoc quæstionem minime referebant, diutius litigavit. Verum pro parte sua nulla privilegia Romanæ Ecclesiæ vel Rayennatis exhibuit, neque ostendit longa consuetudine se munatum, sed tu procurationes ipsas in aliis monasteriis tuæ provinciæ asserens sine contradictione præstari, eas prædecessoribus tuis in monasteriis civitatis Bononiensis exhibitas per testes idoneos probavisti. Inde utique fuit, quod deliberatione cum fratribus habita, vidimus intentionem tuam jure communi et prædecessorum tuorum consuetudine adjuvari. Eapropter tuis justis postulationibus annuentes, monasteria supradicta de communi consilio fratrum condemnavimus ad procurationes

C secundum facultates eorum tibi, tuisque successoribus exhibendas, et adjudicantes eas vobis in jam-dictis monasteriis universis, sententiam quam protulimus, nostra duximus et fratrum suscriptionibus roborandam. Decernimus ergo, ut nullus, etc.

### L. S.

Ego Urbanus catholicæ Ecclesiæ episcopus ss.

Ego Henricus Albanensis episcopus ss.

Ego Theobaldus Ostiensis et Velletrensis episcopus ss.

Ego Joannes presb. card. tit. Sancti Marci ss.

Ego Laborans presb. card. Sanctæ Mariæ trans Tiberim tit. Calixti ss.

Ego Pandulfus presb. card. tit. xn Apostolorum ss.